



Quæstionum, Et Resolutionvm Legalium Libri Duo

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo - Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Tonduti, Pierre François de

Lugduni, 1683

Cap. LXXXVIII. De privilegio ordinis Prædicatorum Sancti Dominici, super immunitate à solutine quartæ funerariæ, & nominatim de cereis, qui deferuntur in manibus religiosorum. Et utrùm adversus hæc ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98367](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98367)

ut hoc casu fuerat probatum : & ita decisum in Rota *decis. 58. & 88. part. 1. recent. & decis. 254. num. 1. part. 3. recent.*

- Ex alio etiam capite Censui, cessare reservationem prædictam, procedentem ex adeptione beneficii incompatibilis, de qua superius *num. 1.* actum est: quia provisió Apostolica jam fuerat effectus foreita: ideo cessabat reservatio; quamvis provisió Apostolicus inhabilis esset ad obtinendum canonicatum, qui ex lege fundationis requirebat qualitatem Sacerdotalem in impetrante, tempore collationis; ¶ Unde intrabat dispositio Sacri Concilii Tridentini, quo cavetur, quod quando beneficia Ecclesiastica ex lege fundationis, seu erectionis, requirunt provisió esse actu celebrantem (prout in casu proposito requirebatur) illi nullo modo per quamcunque provisionem derogari potest. ¶ Et licet summus Pontifex sine dubio derogare possit Concilio Tridentino, non solum expresse, sed etiam tacite; cum auctoritas summi Pontificis in omnibus per dictum Concilium nominatum reservata sit, dummodò tamen constet, quod Papa voluerit illi derogare: *Caualer. decis. 601. num. 3. & ita servatur in praxi: Pyr. Conrad. de dispens. lib. 3. cap. 1. num. 28. ¶ Tamen Vicelegatus huic Concilio non derogat. Conrad. d. tract. lib. 5. cap. 5. num. 9.* Cum igitur agatur de provisione facta in Legatione, non licuit Vicelegato derogare legi fundationis, ex defectu potestatis. ¶ Et sic cum nullitas provisionis factæ personæ inhabili procederet à defectu potestatis; talis provisió finem imposuit reservationi. *Rip. in cap. cum M. Ferrariensis, num. 197. de constitut. Roman. consil. 335. num. 12. & 13. nullum siquidem effectum producere poterat illa collatio, facta non constituto in ordine sacerdotali, prout requirebatur ex tenore fundationis: ¶ tamen per eum finita, & consumpta erat vacatio ad hoc, ut cessaret reservatio per assecutionem incompatibilis beneficii inducta, & collatio ad Ordinarium jure proprio pertineret. Gonzal. ad regul. 8. gloss. 52. num. 48. & gloss. 15. §. 2. quest. 9. per totam, à num. 31. Aneas de Falconib. in tract. de reservat. benefic. quest. 4. principali, num. 1. ¶ Maxime quia provisió Apostolicis litteras in forma dignum acceperat, examinatus, & in possessionem missus fuerat, & sic gratia Apostolica plenè executioni demandata: ideo omnino cessabat vacatio, & erat consumpta, poteratque Ordinarius providere. Rot. decis. 523. num. 2. & 498. num. 2. part. 2. recent. & 691. num. 5. eadem parte; & decis. 71. num. 4. part. 5. recent.* Nam quidquid aliqui contradixerint, teste Anea de Falconib. in tract. de reservat. benefic. quest. 4. princip. effect. 16. tamen communis opinio est, quod collatio spectet ad Ordinarium, si provisió Apostolica sit inutilis, facta de beneficio reservato. *Gomel. ad regulam de triennial. quest. 30. versic. tamen contrarium est verum, post medium illius questionis. Roman. consil. 335. num. 12. & seq. Rot. divers. decis. 512. num. 5. part. 3. lib. 3. ¶ Et de præsentatione facta de non sacerdote, contra formam fundationis, decis. 216. n. 6. in fin. part. 2. recent. Petrus Gregor. in institut. rei benefic. cap. 24. num. 18. & 24.*
- 23 Hoc tamen ultimo loco advertendum est, ea quæ mox dicta fuere de collatione, & provisione Apostolica, quod per eam cesset reservatio; intelligenda esse, ut procedant, & locum habeant quando provisió esset ex se valida, sed postea annullaretur, seu nulla & defectuosa declararetur: secus est si à principio esset ipso jure nulla: (non tamen ex defectu potestatis, juxta tradita supra, *num. 19.*) nam nul-

litate existente ipso jure, à principio, tunc tran-
neret antiquas vacandi modus: & sic vacatio non
esset consumpta, ex traditis per Seraph. *decis. 1309.*
num. 2. ¶ ubi dicit, quod ratione unionis annullaretur,
non datur nova vacatio, sed remanet antiqua: &
cùs est, si fuisset valida, & dissolveretur. *Puzos*
decis. 13. lib. 3.



CAPUT LXXXVIII.

De privilegio ordinis Prædicatorum Sancti
Dominici, super immunitate à solutione
quartæ funerariæ: & nominatim de ce-
reis, qui deferuntur in manibus Reli-
giorum. Et utrùm adversus hæc pri-
vilegia opponi possit non usus, aut con-
trarius usus, aut res judicata ab aliquo,
qui sit summo Pontifici inferior.

SUMMARIUM

- 1 Reverendi Patres Predicatores habent exempti-
nem à solutione quartæ funerariæ, per privi-
legium.
- 2 Concilium Tridentinum non intendit nocere pri-
vilegiis, & exemptionibus Patrum Predica-
torum.
- 3 Dilectum privilegium competit Patribus Predica-
toribus, non solum ex proprio capite, sed etiam
per communicationem cum aliis religiosis.
- 4 In casibus in quibus quarta funeralis patrum
non debetur de cereis qui per Fratres in manibus
deferuntur.
- 5 Confraternitates non debent quartam de cereis de
funere portatis, decisum fuit.
- 6 Quando corpus sepelitur apud religiosos, quartæ
daveris sequela spectat ad ipsos.
- 7 Parochi tenentur in quartam computare quicquid
recipiunt occasione funeris.
- 8 Privilegia regularibus concessa fuere immuta-
bile: & propterea irrevocabilia sunt.
- 9 Privilegiis toti ordini concessis, etiam per quosdam
expressum derogari non potest.
- 10 Controversias omnes super solutione quartæ al-
terius religiosi, summus Pontifex ad se revo-
cavit.
- 11 Post evocationem dicitur attentatum, etiam si
tunc possessio continetur.
- 12 Procurator solvens sine speciali mandato, non
judicat domino in exemptione quartæ.
- 13 Privilegia mendicantibus concessa, circa solu-
tionem quartæ funerariæ, revocavit summus Pon-
tifex Gregorius XIII. Intelligit de novis privi-
legiis, non de antiquis, *num. 14.*
- 15 Prescriptio extenditur ad alios etiam per
speciem.
- 16 Ut privilegium consistens in non facienda solu-
tione per universitatem, exigitur status
annorum, quando privilegium non est immuta-
bile, sed successivum.
- 17 Qui fundatus est in privilegio, fortius habet
ius quam qui in prescriptio: & ideo immu-
tentio ei concedenda est, qui fundatus est in pri-
vilegio.
- 18 Privilegio introducto in favorem totius ordinis

Quæst. & Resol. benefic. Cap. LXXXVIII. 153

- non possunt particulares renunciare.
- 19 Non obstante antiquissima possessione in contrarium, religiosi debent gaudere suis privilegiis, & immunitatibus; neque solutiones per eos facta ipsis præjudicant.
 - 20 Solutio facta per privilegiatos nocet dumtaxat quoad præterita, sed non quoad futura, quando agitur de privilegio successivo.
 - 21 Quarta de jure communi, etiam cessante privilegio, non debetur ex cereis qui non deferuntur cum funere.
 - 22 Privilegium debet aliquid operari ultra jus commune.

Antiqua fuit, & est controversia inter regulares, & sæculares Presbyteros, super solutione quartæ parochialis: in qua Ego semper steti à partibus regularium, & nominatim scripsi in favorem religiosorum ordinis Sancti Dominici, quos ab omni quartæ parochialis & funerariæ solutione immunes esse dixi; juxta summorum Pontificum constitutiones, & nominatim Julii III. sub datum Romæ die 10. Junii, ann. 1551. Alexandri IV. Joannis XX. & Clementis VIII. quarum meminit Gratian. *discept. forens. 925. num. 1.*

Quibus privilegiis non resistit Concil. Trident. *sess. 25. cap. 13.* quia Congregatio Concilii dictam constitutionem declaravit his verbis: *Sacra Congregatio censuit Monasteria regularium, quavis à quadraginta annis citra edificata, non teneri ad quartam parochialis Ecclesiæ præstandam, si sint ejus religionis, cui à sede Apostolica ante 40. annos indultum fuerit: ut hujusmodi quartam solvere non teneantur.* Quæ declaratio inferitur apud Quarant. in *summa Bullar. in verb. privilegia regularium*, fol. 516. in fin. ubi etiam dicitur, quod requiruntur Partibus ordinis Minorum Sancti Francisci de Paula, civitatis Neapolitanæ, eadem Congregatio declaravit Concilium privilegiis Minorum non obstat, anno 1506. & sic plerumque 40. annis ante Concilium concessis. Quod etiam refert Emanuel Roderic. *tom. 1. quæst. regul. 39. art. 2.* Barbof. *de juri. Ecclesiast. lib. 3. cap. 24. num. 3.* Lezan. in *summa regul. tom. 1. cap. 3. num. 13.* Et in specie de Patribus Prædicatoribus, tradit Barbof. *ibidem*, num. 7. † Quamquam etiam si specificè huic venerabili religioni non fuisset concessum privilegium: tamen per communicationem aliorum, eisdem privilegiis frui deberet, ut habetur in Bullario privilegiorum ejusdem ordinis, in constitutione Pauli V. fol. 259.

Sed posito quod dicti Reverendi Patres tenerentur ad quartæ Parochialis solutionem; nullo tamen modo cogi possent ad eam solvendam de candelis, seu cereis qui tempore funeris dantur ad manus Fratrum, tam ex constitutione Benedicti XI. inserta in d. Bullario Prædicatorum, fol. 72. in illis verbis: *De candelis tamen, quas Fratres portant, portio non petatur:* & in Bulla Sixti IV. fol. d. Bullarii 157. in illis verbis: *nec aliquo casu de candelis, quæ ad manus Fratrum dantur, quarta aliqua quomodolibet detrahatur.* Quod etiam notavit Joan. Baptist. Confetti. in *tract. de privilegiis mendicant. tit. 20. de sepult. cap. 1. fol. 321.* his verbis: *de candelis, quæ dantur ad manus fratrum in funeralibus, nulla est detrahenda, seu solvenda portio.* Barbof. *d. lib. 3. cap. 24. num. 39.* † qui subdit num. 40. Sacram Cardinalium Congregationem negotiis Episcoporum, & Regularium propositam, sub die 5. Martii 1616. respondisse interdictum, seu cereorum qui portantur per confraternitates sæculares funera associantes, quartam funera-

lem non deberi: & in *decision. Apostolic. collect. 624. num. 4.* Quamquam super hujus decreti interpretatione lis in urbe pendeat; cuius decisio expectatur: Parochis assentibus illud decretum intelligi de cereis, quos ipsa confraternitas de suo apponit, & in funere defert; at verò confraternitates prætendunt illud intelligi ratione cereorum, quos hæredes dant confratribus, ut illos deferant in ipso funere: de quo etiam Lezana in *summa regul. tom. 3. in verb. quarta funeralis*, num. 7. in fine.

Et quando corpus sepelitur intra Ecclesiam regularium, cereos omnes ad ipsos pertinere, tanquam sequelam cadaveris, censuit Bald. in l. unica, §. sed qui domini, *Cod. de Latin. libertat. rollend. num. 4.* Petrus de Raven. *singul. 109.*

Sed notandum est, Parochos teneri in quartam imputare quicquid tacite, vel expressè habent à defuncto, teste Joan. Baptist. Costa in *tract. de ratione rate*, ex communi opinione, *quæst. 144. numer. 20.* Covarr. in *cap. officii*, num. 6. & *seq. extr. de testament.*

Neque obstat dicebam sententias, & decreta, quibus ad hujusmodi quartæ solutionem dicti religiosi condemnati dicuntur. † Quia per similes ordinationes præjudicari non potest prærogativis, & privilegiis per summos Pontifices toti ordini concessis, in remunerationem laborum quos pro fide Catholica patiuntur, etiam cum proprii sanguinis effusione, & vitæ jactura: quæ privilegia propterea sunt irrevocabilia: ita ut illis per actus factos à quibuscumque iudicibus, summo Pontifice inferioribus, derogari non possit: ut in propriis terminis privilegiorum, circa exemptionem quartæ funerariæ, religiosi Sancti Dominici concessorum, docet Stephan. Gratian. *discept. 925. num. 3. & 4. & seq.*

Maximè, quia in dictis privilegiis adest clausula, *sublata, &c.* quæ omnem aufert jurisdictionem à iudicibus inferioribus, illorumque sententias nullas reddit, totumque illorum processum irritat, tam in petitorio, quam in possessorio. Mart. de *claus. cap. 177. part. 1. num. 1. & seq.* & quæcumque contra dicta privilegia fiunt, nulla & irrita declarat Honor. IV. etiam si illis per pactum expressum fuisset præjudicatum: ut apud Confetti. *constit. 2. fol. 17.* † qui *ibidem*, fol. 170. refert constitutionem Pii V. anno 1571. editam, per quam omnes controversias inter Parochos, & religiosos ad se evocat. Et licet evocatio non reddat acta inferioris post evocationem facta invalida, nisi post intimationem ipsius evocationis: ut dixi in *tract. de preventionibus inchoatis*, cap. 7. de *evocatione*, num. 8. *versic. quod verum est.* † Tamen hoc procedit, quando evocatio causæ fit ad instantiam partis, cui imputandum est si non utatur rescripto evocatorio; secus si fiat motu proprio, quia tunc statim ligatæ sunt manus inferiorum absque intimatione: *cap. ut nostrum, de appellat. cap. pastoralis, de offic. & potest. judic. deleg.* Quia quando superior apponit manus, non potest inferior se intromittere. Mohedani. *decis. 9. de præbend. alias 129. Rip. in cap. cum M. Ferrariensis, de constit. num. 196.* † & omnia sic gesta, sunt nulla, & impediunt possessorem uti suâ possessione, in viam illorum adeptâ, quia regula, quod qui continuat, non attentat: non habet locum stante evocatione. Lancelot. de *attentat. cap. 10. num. 11. & 12.* de evocatione autem per summum Pontificem facta, constat ex dicto privilegio, apud Confetti. *d. folio 170.*

Et si dicatur aliquos procuratores, quandoque quartam Parochiæ solvisse, responsio est in promptu, nempe gesta per procuratorem, non posse præjudicare

154 Petri Francisci de Tonduti Sanlegerij,

conventui, sine mandato speciali: cap. petio, de procurat. cap. contingit, de transact. & ibi Abbas. Item Bartol. in l. nulli, ff. de transact. quia in mandato generali, non continetur facultas facendi gratuita iurium domini renunciationes, aut alio modo præjudicandi domino: sicut procurator non potest remittere caducitatem, aut similia facere in detrimentum domini. Corbul. de jure emphyt. tit. de caus. privat. ob non solum canonem, limit. 11. numer. 16. & seq.

Sed adversus prædicta proposita fuere difficultates, quibus sigillatim satisfaciendum est.

- 13 Primum fuit oppositum, quod privilegia mendicantibus ratione solutionis quartæ funerariæ concessa, revocata in totum facere per fecit. record. Gregorium XIII. ex Fasc. de visit. lib. 1. cap. 25. num. 8. & 14.

14 Respondum fuit, summum Pontificem Gregorium XIII. non revocasse antiqua Religiosorum privilegia, sed ea tantum quæ de novo per Pium V. concessa fuerant: cum rem ad eum statum deducat, in quo antea erat, juxta legitimas dispositiones & constitutiones ante dictæ Bullæ Pii V. editionem factas: ut ad 9. dicti Gregorii XIII. constitutionem Flavius Cherub. in compendio Bullarum adnotavit: quæ Bulla Gregorii incipit, *In tanta rerum, & negotiorum, Schol. 2. post Emanuel. Roderic. tom. 9. quest. regul. 74. art. 16. in fine*: & sic antiqua dicti ordinis privilegia per Gregorianam constitutionem sublata non fuere, sed in suo robore permanserunt.

- 15 Secundò fuit oppositum, constare de legitima præscriptione adversus mendicantes, in favorem Parochiæ: quæ præscriptio ex actu unius speciei extenditur ad alios similes. Seraph. decis. 1047. num. 1. & 2.

16 Sed responsum fuit primò, privilegium amitti per non usum, quando adest præscriptio quadragenaria, & privilegium consistit in non faciendo, si agatur de Collegio, vel Universitate: quæ præscriptio 40. annorum probata non fuit. Gaill. lib. 2. observ. 60. num. 12. versic. secundo casu.

- 17 Secundò fuit responsum, regulares fundatos in privilegio, manutenendos esse adversus Parochos fundatos in præscriptione; quia privilegium non habet tantam juris resistendam, quantum præscriptio. Seraph. decis. 595. num. 2. & 3.

18 Tertio responsum fuit, quod cum privilegium immunitatis à solutione quartæ, fuerit introductum in favorem totius ordinis, non possunt particulares illi præjudicare: ideo per contrarium usum non amittitur. Bald. consil. 3; 8. Archiepiscopus, 3. vol. 4. versic. super tertio: nisi saltem intervenerit præscriptio 40. annorum: Gratian. discept. forens. cap. 492.

- 19 num. 20. 1. Præsertim propter clausulas decreti irritantis, & alias appositas dictis privilegiis, de quibus Mart. de claus. part. 1. cap. 255. num. 8. ubi dicit Reverendos Patres Prædicatores manutenendos esse in possessione exemptionis à solutione decimarum, & similibus; propter amplissimas clausulas appositas in eorum privilegiis; quamvis in contrarium adesset Presbyterorum secularium antiquissima possessio, quæ potius usurpatio nuncupari debet: & dicta privilegia non solum amitti non possunt per non usum, sed nec etiam per usum contrarium; etiam si milites dicti Patres solutioni consensissent, ut ibi per eum, num. 9. 1. Et in omnem eventum solutio præjudicare quidem potuisset quoad præterita, sed non quoad futura; cum agatur de privilegio successivo, & non momentaneo: quo casu solutio non nocet quoad futura. Tusch. littera P, conclus. 756.

num. 10. 12. 15. 34. 43. & 53. Decius in cap. con. cessissent, column. penult. versic. retenta tamen, de consil. Alex. consil. 193. num. 11. & seq. vol. 2. Roman. consil. 88. num. 3.

Tertia difficultas fuit proposita, quod cum illi cerei deferantur cum funere, videtur quod ex illa quarta solvi debeat. Sed hæc levis est, quia privilegia Mendicantium, & in specie Prædicatorum, imponunt hos cereos deferri tempore funeris; & non non fuisset opus aliquo privilegio, 1. cum de iure communi, ex aliis cereis qui non deferuntur cum funere, nulla debeat quarta: quia dantur pro labore corporali. Tusch. in verb. Quarta, conclus. num. 2. 1. Certum est autem, privilegium debere quid operari ultra jus commune, cap. si Papa, 1. privileg. Surd. consil. 419. num. 32.

Hæc mea fuit pro dictis Reverendis Patribus sententia, de ejus veritate nunc in Urbe disputatur: ideo judicium desuper expectandum est. Sed enim hoc in animo habeo, ut iuribus partium præjudicare velim; aut negotiis pendentibus æquitate decisionem tenuis iudicii mei sententiam imponere.



CAPUT LXXXIX.

Quorum beneficiorum nominatio spectat ad Regem Galliæ, & quæ ad eam requirantur. De ætate requisita, & ad provisionem prioratuum conventualium. Intra quod tempus fieri debeat nominatio. Et utrùm nominatio locum habeat in Episcopatibus, & Prioratibus vacantibus in Curia. Considerandum in Gallia esse prohibitam, nec perpetuum decem annorum purgari, si sit continua.

SUMMARIUM.

- 1 Prioratus conventuales, si sint verè ecclesiastici, præter formam cap. quia propter, de elec. c. 1. concurrant, de quibus ibi, subijciuntur præter nominationi.
- 2 Prioratus conventuales veniunt appellari immunitatis.
- 3 Confessiones dari possunt Prioribus conventibus, quæ non dantur nisi in dignitate Episcopalis constitutis.
- 4 Prioratus, in quibus nulla post electionem requiritur confirmatio, non supponuntur nominationi Regiæ.
- 5 Electores, si non sit opus confirmatione, dantur potius collatores.
- 6 Prioratus conventuum, quibus à Sede Apostolica privilegium datum est eligendi, non continentur sub nominatione Regis.
- 7 Abbatia monialium, nec non ea, quæ inter alia caput Ordinis constituunt, eximuntur à nominatione Regis.
- 8 Beneficia manualia sunt extra Regis nominationem, vel si singulo triennio, vel quatuor annis mutantur.
- 9 Beneficia per obitum apud Sedem vacantia, si non Pontifex sine Regis nominatione conferat, non possunt dari.